



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Scriptvm Ministrorvm Ecclesiarvm Citerioris Pomeraniae, Salvtem Et
Pacem In Christo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

SCRIPTVM MINI-
STRORVM ECCLESIA-
RVM CITERIORIS
POMERANIAE,

SALVTEM ET PACEM
IN CHRISTO.

CVM ILLVSTRISSIMVS PSINCEPS
Philippus, Dux Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubio-
rum, &c. Dominus noster clementissimus, à nobis peteret, vt
iuxta edictum inuictissimi Imperatoris Caroli, summam do-
ctrinæ, quæ in Ecclesijs & Scholis nostris magno consensu
traditur, breui scripto comprehensam, congruentibus omni-
um suffragijs, Tridentinæ Synodo offerremus: non graua-
tum id negotij, quod pietati, iusticiæ, & præcepto Dei maxime
consentaneum erat, suscepimus. Sed cum id etiam temporis,
vestra confessio Illustrissimi Principis iussu, nobis exhibere-
tur, ac anima duerteremus recitari in ea doctrinam veram, pi-
am, & salutarem Ecclesiæ, planè congruentem cum scriptis
Propheticis & Apostolicis: visum est omnibus Ministris &
Doctoribus Ecclesiarum, qui Grypsuualdæ conuenerant, vt
inhibito labore supersedentes, vestram confessionem nostris
omnium suffragijs comprobaremus, ac vt nostram, Illustrissi-
mo Principi, & Tridentinæ Synodo offerremus. Quare hic
palam testamur & affirmamus coram Deo & omnibus Sanctis
in celo & in terra, doctrinam, quæ in vestra Confessione pro-
ponitur, verum & perpetuum esse consensum Catholicæ Ec-
clesiæ Filij Dei Domini nostri IESV CHRISTI, nosq; eam
toto pectore amplecti, ac sonare in nostris Ecclesijs Aca-
demjs ac Scholis, ac Deo iuuante ad omnem æternitatem con-
stanter professuros ac defenluros esse. Quod cum ita sit, reue-
renter oramus, vt pro commemorabili vestra erga nos pietate
& beneuolentiâ, nostras Ecclesias, & eos qui harum Eccle-
siarum

X 2

fiarum nomine isthuc emittuntur, doctrina, consilio, & ceteris
 genere officij iuuetis, vobisq; commendatos & coniunctos
 esse sinatis: ac omnino statuatis, nos, cum de sacris ceremonijs
 in Euangelio institutis, tum vero de vniuersa doctrina cele-
 sti, deq; ritibus ad eutaxiam Ecclesie pertinentibus, plane
 idem vobiscum sentire, nec Deo dante passuros, vt vlti-
 quam temporibus ab hac sententia depellamur. Commenda-
 mus etiam filio Dei Domino nostro IESV CHRISO
 vestram salutem, eumq; toto pectore & ardentibus votis
 regat & fortunet ad glo-
 riam sanctissimi sui nominis, & ad vtilitatem Ecclesie. Bene
 & feliciter valeat V. E. in Christo, cui & nostras Ecclesie
 honesta studia pijs votis commendamus. Datæ Grypswalden
 in Synodo prouinciali, Anno M. D. LII. die XXI. Ianuarij.

Vestre excellentie addictissimi

Rektor Academiæ Grypswaldensis,
 Superattendens, Doctores, Pastores
 & Ministri Ecclesiarum citerioris
 Pomeraniæ.

LOCI